Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26218
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Conputruerunt iumenta in stercore suo. Iumenta quippe in ster
core suo conputruerunt. est carnales homines in fetore luxu
rie vitam finire. Non enim homines sed iumenta declarantur.
de quibus per prophetam dicitur: unusquisque ad uxorem proximi sui hinnie
bat. et de quibus propheta alius dicit. Carnes asinorum carnes eorum. et
fluxus equorum fluxus eorum. Unde et per david dicitur: Homo
cum in honore esset non intellexit. comparatus est iumentis insipi
entibus. et similis factus est illis. Cum ergo vocentur homines hii
qui iusticie racione suffulti sunt. et irracionabilia iumenta
nominantur. hii qui carnali delectationi deserviunt.
recte de hoc penitente dicitur: Respiciet homines. et dicet
Peccavi. ac si aperte dicatur. Sanctorum virorum exempla conspicit
atque eorum comparatione se pensans iniquum se esse depre
hendit. Qui enim plenissime intelligere appetit qua
lis est. tales nimirum debet conspicere qualis non est. ut ex bo
norum forma metiatur. quantum ipse despectu bono de
formis est. Ex hiis quippe quibus plenissime bona assunt.
perpendit recte que sunt minus. atque in illorum pulchri
tudine conspicit feditatem suam. quam in se ipso et potest
perpeti. et sentire non potest. Lucem namque debet conspicere
qui vult de tenebris iudicare. ut in illa videat quid
de tenebris estimet. per quas videre prepeditur. Peccator
namque si incognita vita iustorum semet ipsum conspicit.
peccatorem se nullatenus comprehendit. Videre enim se
non potest. quia fulgorem lucis nesciens cum semet ipsum con
spicit. quid aliud quam tenebras attendit. Iustorum
ergo debemus vitam conspicere. ut suptiliter deprehendamus
nostram. Illorum species videlicet quasi quedam forma nobis
imitanda proponitur. Viva lectio est vita bonorum. Un
de et non inmerito idem iusti in sacro eloquio libri nomi

D. M.